



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 125. Nuntius Pontificius a Rege objurgatus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

gni conventu coronatur. Cum vero Rex Sæcul. XV.  
A.C. 1464.  
 Hungariæ unice intentus esset, ut in fo-  
 lio, quod pacis beneficio tranquille ade-  
 ptus est, etiam armorum potentia sese  
 firmaret: hinc cum Equitibus Poruffis  
 foedus iniit, junctisque viribus Zoyni-  
 chum superioris Mysniæ oppidum obsi-  
 dione cinxit. Ubi vero eidem nunciaba-  
 tur, quod numerosus Turcarum exerci-  
 tus appropinquaret, totoque impetu jam-  
 jam regnum invaderet, Matthias quan-  
 tocius relictis omnibus belli tormentis  
 ac plerisque impedimentis aufugit. In-  
 certum, an Mahometis copiis resistendo  
 sese imparem crediderit, aut forte nimio  
 terrore perculsus fuerit; semper tamen  
 præceps adeo fuga ejus nomini labem  
 asperfit.

## §. CXXV.

*Nuntius Pontificius a Rege  
objurgatus.*

Ceterum in Hungariæ Regis aula ver-  
 sabatur quidam Episcopus, Nicolaus  
 nomine, qui a Papa missus in Pannonia  
 Nuncium agebat. Hic, cum esset homo  
 seditiosus, ac turbulentus, necnon calu-  
 mniandi licentiæ deditus, præcipuos au-  
 læ Proceres apud Regem falsis crimina-  
 tionibus suspectos reddere conabatur;  
 & quamvis a Rege hac super re sæpius  
 L 3 fuisset

Sæcul. XV.

A.C. 1464.

*Galeat.  
Martius in  
tom. rer.  
Hungar.  
cap. 13.*

fuiſſet reprehensus, nihilominus vitiosam consuetudinem deponere parum sollicitus erat; quapropter Matthias, cum calumnias ejusmodi, ac susurrationses summo odio infectaretur, Nuntium nihil tale cogitantem in plenum Principum consessum prodire jussit, palamque interrogavit, quinam essent illi, quos vitæ Regis insidiari nosset? Ibi cum Episcopus obmutesceret, reposuit Rex: nisi me cohiberet summi Pontificis reverentia, quam poenam promereantur calumniatores, ostenderem tibi; ceterum ejusmodi Nuntios haud ultra tolerabo, qui in meo Regno semina dissidiorum jacere, & Principi vitæ periculum creare attentant: Regno igitur intra biduum excedas velim, si secus feceris, experieris, quantum sceleratæ ejusmodi artes Matthiæ Regi displiceant.

## §. CXXVI.

*Ludovicus XI. Carolesii Comitem  
capere molitus.*

*Monstrelet.  
vol. 3. fol. 103*

Priusquam conjuratio sub specioso boni publici nomine in Galliis adornata in apertas erumperet flammæ, edocebatur Ludovicus, quod Sabaudia Dux opera cujusdam Romillæi usus, cum Carolesio foedus pepigisset, quapropter Rex vindictæ ardore accensus Comitem prendere,